1bis

PROCANCELLARIVS
D. FRIDER. ALEXANDER KVNHOLD,
PANDECT. PROF. PVBL. CANON. NVMBVRG.
ET FACVLT. IVR. ASSESSOR,

SOLEMNIA
INAVGVRALIA

CANDIDATI CLARISSIMI

ALBERTI SCHVLTE,

HAMBVRGENSIS,

D. XXV. AVGVSTI MDCCXL.

CELEBRANDA

INDICIT.

Biblioteca Nazionale V.E. III Napoli

Digitized by Google

Digitized by Google

Regulam, quam Ius Romanum tradit in *l. 39. ff. Sol. matrim.* et Canonicum in *C. vlt. X. de adulteriis:* paria delicta mutua compenſatione diſſolui, ad debitum pecuniarium ex delicto reſtringit SAM. DE COCCEII in *iure controu. ciu. ad Tit. ff. de compenſ. quaeſt. XIII.* ad omne intereſſe priuatum in mutuis delictis paribus pertinere rectius exiſtimant TITIVS *L. 5. c. 13. §. 21. Iur. priu.* B. MENCKEN. *tit. de compenſ. §. 8. Theor. et pr. Pand.* BEIER. *delin. Iur. Ciu. eod. tit. §. 28.* quoad poenam vero, quam non ſibi inuicem delinquentes, ſed ambo Reipublicae debent, monente Titio, compenſationi non eſſe concedendum locum, dubio caret. Sed infringere videtur poſteriorem ſententiam *l. 10. §. 2. ff. de compenſat. quoties* (verba legis ſunt) *ex maleficio oritur actio, vtpote ex cau-*

Digitized by Google

ſa furtiua, ceterorumque maleficiorum, ſi de eo pecuniarie agitur, compenſatio locum habet. Salua vero res eſt. Pertinet enim memorata *Lex 10.* ad compenſationem proprie ſic dictam, quorſum debita ex contractu et ex delicto referri poſſunt: vbi vero ob paria delicta agere non permittitur, et dolus cum dolo compenſatur, (ait MENCKENIVS *loco cit.*) compenſationis vox improprie capitur. Irregularem igitur, ſiue impropriam hanc noſtram compenſationem, quae non ad ſolum intereſſe pecuniarium, ſed ad actionem quoque vel aliud priuatum commodum ſeſe extendit, dici poſſe exiſtimauerim. Non aliena ſunt ab hac opinione Iuris Canonici placita. Expreſſa enim ſanctio eſt Innocentii III. in *C. vlt. de adulteriis.*: virum adulterio ſe polluentem, adulterae vxoris conſortium declinare adulterii ab vxore commiſſi obtentu non poſſe, et additur ratio, quod paria crimina, compenſatione mutua deleantur; qui textus quomodo ad actionem petendae dotis, quod placet DOMINO DE COCCEII *ſupra alleg. loco,* referri poſſit, non video. His fundamentis poſitis, non difficilis erit deciſio controuerſiae in vtramque partem agitatae: an ſcilicet mutuae iniuriae compenſatione extinguantur, et num Ius Ciuile et Saxonicum hac in quaeſtione differant? Vtrumque, vbi aequales iniuriae adſunt, non reſpuere compenſationem exiſtimo. Qui contrarium, praecipue Iure Saxonico obtinere, defendunt, ſine lege loquuntur, et cur Iuris Romani atque Canonici regula ſupra iam explicata ad iniurias referri

non

Digitized by Google

non debeat, haut liquet. Sed age, videamus argumenta diſſentientium. Exceptionem compenſationis mutuae iniuriarum cum effectu opponi non poſſe aſſerit SCHWENDENDÖRFER *ad Proc. Fibig. C. 2. obſ. 711.* cum iniuria non ſit quantitas, adeoque non res compenſabilis. Concedo compenſationem propriam, cuius et impropriae differentiam antea tradidi, requirere debitum mutuum quantitatis non facti: at vero haec omnia regulam noſtram Iuris Ciuilis et Canonici, principio huius ſcriptionis propoſitam, non deſtruent, neque ad impropriam compenſationem delictorum, quae ſine facti idea concipi non poſſunt, commode applicabuntur. Alterum fundamentum contrariae ſententiae eſt communis Doctorum opinio, ad quam prouocat CARPZOVIVS *qu. 97. n. 45. prax. rer. Crim.* qui tamen eodem loco *n. 44.* ingenue fatetur iniurias reales realibus, verbales verbalibus, ſi paritas quaedam adſit, compenſari, idque tanto magis concedendum eſſe, quanto minus iudici per id praeiudicium infertur. Quam firmum vero in opinione Doctorum, quam dicunt communem, noſtris temporibus, quibus non auctoritatibus ſed legibus pugnamus, quaeratur praeſidium, omnes ſciunt, qui iuriſprudentiae verae non ſimulatae operam dant. Neque etiam communis hodie opinio compenſationem iniuriarum aequalium reiicientium dici poteſt, cum plures inueniat contradictores, BEIERVM *loco ſupra cit. Illuſtrem Dominum* DE LEYSER. *ſpec. 173. Medit. ad Pand. n. 1. 2. 3.* B. DE BERGER *oec*

Digitized by Google

Iur. Lib. III. tit. 15. §. 4. not. 1. qui tamen Saxoniam excipit et *Part. 2. Reſp. 94.* Iure Saxonico compenſationi in mutuis iniuriis locum non concedi contendit, alios, atque Iure Saxonico ſublatam eſſe Iuris Ciuilis et Canonici hac in parte diſpoſitionem, non probarunt contrariae ſententiae Patroni, quibus tamen tanquam affirmantibus incumbebat probatio.

Sed plura perſequi mihi haut libet. Commemoranda enim ſunt quaedam, more recepto, de *Clariſſimi Domini Candidati,* qui ſcriptioni huic occaſionem praebuit, vita ex ſtudiis cum laude peractis.

Natus autem eſt ALBERTVS SCHVLTE, Hamburgi, M. Iunio MDCCXVI. *Patrem* veneratur ALBERTVM SCHVLTE, *Ciuitatis Hamburgenſis Senatorem, et hoc tempore Praetorem*, et *Matrem* MARIAM CAECILIAM B. IOACHIMI BOETEFEVRI, *Senatoris Hamburgenſis filiam.* Prima bonarum litterarum fundamenta in ſchola patria, quae Iohanneum dicitur, poſuit, ibique per octo annorum ſpatium *Cl.* HÜBNERI, ad breue tempus, reliquo vero *Cl.* MÜLLERI, *Rectoris,* viri litterarum humaniorum, hiſtoriaeque peritiſſimi, doctrina, quam praedicat, gauiſus eſt. Poſtea Gymnaſio Hamburgenſi traditus, Virorum celeberrimorum, B. IO. ALBERTI FABRICII, *Phil. pract. et Eloqu. Profeſſoris*, MICH. RICHEY, *Hiſtor. et Gr. linguae Profeſſoris,* affinis venerandi, cui iam antea

antea traditus, omnem et recte viuendi, et recte ſtudendi morem ſe debere profitetur, WOLFII, *Phyſ. et Poeſ. Prof.* DORNEMANNI, *Matheſ. Prof.* et REIMARI, *Lingu. orient. Profeſſoris*; inſtitutione vſus per triennium, ante abitum, Gymnaſio publica diſſertatione ſub Praeſidio laudati MICH. RICHEY, *de Hamburgo veteri in Connoburgo Smeldingorum perperam reperto*, valedixit. Inde elegantioribus litteris innutritus, ad Lipſiam noſtram A. MDCCXXXVII. acceſſit, et Ciuium academicorum Albo *a Rectore Magnifico, Illuſtri* WALTHERO, *Ordinis Medicorum Decano*, inſertus, curſum ad Philoſophiae et iurisprudentiae ſtudia, quo tendebat, direxit. Itaque inſigni diſcendi flagrans cupiditate, per triennium et quod excurrit, Praeceptores celeberrimos, ſcilicet IÖCHERVM, hiſtoriam regnorum, et imperii Germanici, GOTTSCHEDIVM, Philoſophiae principia, MASCOVIVM, hiſtoriam Imperii, eumque et CRAMERVM, Ius publicum, HOMMELIVM, doctrinam Pandectarum et artem referendi ex Actis, PETERMANNVM Ius Canonicum et Feudale, FEVSTELIVM, Inſtitutiones Iuris, atque SCHELLHAFERVM, Ius Naturae et Gentium interpretantes, aſſiduo ſtudio ſecutus eſt. Poſt hoc, curſu ſtudiorum feliciter ſuperato, a noſtro ordine in numerum Candidatorum receptus, in vtroque examine acquiſitam iuris peritiam nobis probauit, atque merito ſuo Licentiam ad Licentiati et Doctoris Iuris dignitatem adſpirandi omnium ſuffragio conſecutus eſt. Officio

ſuo

Digitized by Google

ſuo itaque ſatisfacturus, expoſita iamiam in Auditorio Petrino quatuor horis *L. 10. C. mandati*, die 25. Auguſti in aciem producet *exercitationem inauguralem de Iure Fiſci in hereditates priuatorum*, eamque ſine Praeſide tuebitur. Quo certamine peracto ſummos in vtroque Iure honores et priuilegia, quae in hac Academia promotis extra Facultatem competunt, ipſi tribuet, *Vir Summe Reuerendus Illuſtris atque Magnificus, Dn.* IOHANNES FLORENS RIVINVS, *ICtus, Cod. P. P. Canonicus Martisburg. Capituli Wurcenſ. Decanus, Acad. Decemuir, et Facult. Iurid. Aſſeſſor,* Collega Honoratiſſimus, Promotor ex Decreto Ordinis noſtri a me Procancellario rite conſtitutus. Cui ſolenni actui vt *Rector Academiae Magnificus, Comites Illuſtriſſimi, vtriusque Reipublicae Proceres grauiſſimi,* atque Generoſiſſimi et Nobiliſſimi Academiae Ciues ſplendorem praeſentia ſua conciliare haut dedignentur, mutua ſtudia et officia pollicitus, qua decet obſeruantia rogo D. Lipſiae Domin. X. poſt Trin. MDCCXL.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VA 1 1520136

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google